



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Regin. Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

villam de Fain, & apud villam de Amaio. Quicquid habetis apud sanctum Aman- dum, apud Sanctasium, apud villare su- per Tholum, apud Pontem nascentem, villas de S. Leodegario, de Marendulio, de Cufiri, de Beleneva, de Maniaco, de Mosterolo, de Aestival, & de Cerins. Grangias de Maini & de Marceni, gran- giam de Brentiniaco, cum appendiciis suis. Quicquid habetis in servis & an- cillis, decimis, censibus, molendinis, fur- nis, terris, vineis, pratis, nemoribus, & aquis, cum aliis possessionibus vestris. In parochialibus autem Ecclesiis quas ha- betis, liceat vobis Presbyteros eligere, & diocesano Episcopo presentare: quibus, si idonei fuerint, Episcopus curam ani- marum committat, ut ei de spiritalibus, vobis autem de temporalibus de- beant respondere. Vobis autem aucto- ritate presentium indulgemus ut excom- municandi, sive interdicendi, vel suspen- dendi vos vel Ecclesias vestras earumque Capellanos aut Clericos & homines ve- stros absque manifesta & rationabili causa, & servato juris ordine, nisi tale commissum fuerit quod iudicarium or- dinem non requirat, nullam diocesanus Episcopus habeat facultatem. Quod si contra indulgentiam nostram fuerit at- tentatum, sententiam ipsam auctorita- te apostolica decernimus non tenere. Si quando verò homines monasterij vestri vinculo teneantur excommunicationis astricti, pro eorum absolutione diocesanus Episcopus vel quilibet alius potesta- tem non habeat pecuniam extorquen- di. Et si in eos, quia propter hoc pecu- niam non exoluunt, ecclesiastica fuerit sententia promulgata, eam decernimus auct. apost. non tenere. Chrisma verò, oleum sanctum, consecrationes alta- rium, seu basilicarum, benedictionem Abbatis, ordinationes monachorum & Clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à diocesa- no suscipietis Episcopo, siquidem catho- licus fuerit, & gratiam & communio- nem apost. sedis habuerit, & vobis ea gratis & sine pravitate voluerit exhibe- re. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis &c. usque ad verbum impen- dat. Auctoritate quoque presentium vo- bis duximus indulgendum ut si diocesa- nus Episcopus vel Archidiaconi ad Ec- clesias vestras in majori numero equita- turarum & hominum quam in Latera-

nensi Concilio fuit statutum, accesserint, procuraciones eis in vestris Ecclesiis non teneamini exhibere. Sepulturam præterea loci illius liberam esse decer- nimus &c. usque ad obstat. Salva ta- men iustitia illarum Ecclesiarum à qui- bus &c. Libertates quoque, dignitates, & immunitates, necnon antiquas & ra- tionabiles consuetudines monasterio ve- stro concessas, & hætenus observatas, ratas habemus, easque futuris tempo- ribus illibatas manere sancimus. Decer- nimus ergo &c. Si qua igitur &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum per ma- num Rainaldi Domini Papæ Notarij, vicem agentis Cancellarij, Indictione prima, incarnationis dominicæ anno M C XCVIII. Pontificatus verò Domini Innocentij Papæ tertij anno primo.

PAMPILONEN. EPISCOPO.

Fratribus & coepiscopis nostris specialem volumus gratiam exhibere, & in suis eos petitionibus, quan- tum honestè possumus, exaudire. Eapro- pter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, auctoritate tibi presentium indulgemus ut cum genera- le interdictum terræ fuerit, liceat tibi, ubicunque fueris, clausis januis, exclu- sis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, vel celebrare divina officia, vel celebrantem capellanum audire, dum tamen neuter vestrum excommunicatus, vel nomina- tim fuerit interdictus, aut id tibi fuerit expressè prohibitum. Nulli ergo &c. Datum Idib. Iulij.

Epist. 287.
Quod tempore
generalis inter-
dicti ipsi liceat
clausis januis,
nec pulsatis ca-
panis, celebrare.

REGIN. EPISCOPO.

Noverit fraternitas tua quòd cau- sam quæ vertitur inter dilectos fi- lios Canonicos Ecclesiæ sancti Quintini Viromanden. & Decanum ejusdem Ec- clesiæ, venerabil. fratribus nostris Re- men. Archiepiscopo, sanctæ Sabinæ Car- dinali, & Episcopo Atrebaten. duximus committendam, ita tamen quòd ipse pro parte sua tertium iudicem eligendi liberam habeat optionem. Quoniam igitur, sicut nobis relatum est, idem De- canus in partibus Lombardiæ moratur, fraternitati tuæ per apost. scripta man- damus quatenus eidem Decano aucto- ritate nostra injungas ut ad prædictos ju- dices accedere non postponat, respon-

Epist. 288.
De causa Deca-
ni S. Quintini
contra suum
Capitulum.

*Leg. eisdemque

surus super quaestione praemissa, & iudicium recepturus, *eisdem iudicibus perlatores praesentium significare non differas qualiter à te iuxta mandatum nostrum fuerit ipsi Decano inunctum ut ad eorum praesentiam, ut praelibatum est, accedere non differat. Datum Romae apud S. Petrum X. Kal. Iulij.

ARCHIEPISCOPO REMEN.
sanctae Sabinae Cardin. & Episcopo
Atrebaten.

Epist. 189.
De eodem ar-
gumento.

EX parte dilect. fil. Canonicorum Ecclesiae S. Quintini Viromanden. fuit in audientia nostra querela proposita quod Decanus ejusdem Ecclesiae, cum potius teneatur discordantes ad concordiam revocare, inter eos concitare seminarium dissensionis, ipsos etiam contra ecclesiasticam honestatem super enormibus criminibus publice infamare, & adversus eos provocare laicos nimè dubitavit, in remissionem peccatorum eis injungens ut in ipsos Canonicos irruerent, & funes campanarum, quas pro Capitulo congregando pulsabant, de manibus eorum auferrent; eisdem promittens quod si quid detrimenti super hoc eis accideret, ipse perpetrata rei vellet auctor haberi. Praeterea cum se servaturum jura & consuetudines Ecclesiae sancti Quintini & Canonicis quandam pensionem necnon & procuracionem in octavis Paschae annuatim juraverit impensurum, contra suum veniens juramentum, statum capellarum & capellanorum & *ruariorum, Capitulo contradicente, in eorum & Ecclesiae suae grave praedictum nixus est immutare, & praedictas pensionem & procuracionem, similiter juramenti religionem neglecta, ipsis Canonicis renuit exhibere. Cumque super his eum ad sedem apostolicam appellaverint, ipse terminum appellationis abbrevians, eis ad prosequendam appellationem festum sanctorum Philippi & Jacobi proximò praeteritum assignavit. Sed nec ipse nec aliquis coram nobis pro eo comparuit responsalis. Quia verò propter temporis intemperiam non decuit nos magistrum W. & T. Canonicos Ecclesiae supradictae, ad nostram praesentiam accedentes, diutius detinere, volentes utrisque, sicut justum est, providere, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ascita vobiscum ecclesiastica persona & suspe-

*f. Vicarium

ditione carente, de Remen. provincia, quam dictus Decanus pro parte sua duxerit in iudicem eligendam, pariter cum ea super his quae hinc inde proposita fuerint, inquiratis diligentius veritatem, & quod justum fuerit, appellatione postposita statuatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam à partibus firmiter observari. Si verò praedictus Decanus eligere iudicem & juri parere noluerit, vos nihilominus, quantum de jure poteritis, in negotio procedatis. Nullis obstant. harum mentione non habita &c. Quod si vos ambo simul cum tertio his exequendis &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum ut supra.

SIFFREDO AVGVSTEN.
Praeposito.

EX ore sedentis in throno procedebat gladius bis acutus. Hic est gladius Salomonis, qui secat utrinque, reddens unicuique quod suum est. Nos ergo, qui, licet immeriti, locum veri Salomonis divina dignatione tenemus, gladium istum tunc prudenter exerimus, cum quaestiones in auditorio nostro legitime ventilatas mediante justitia diffinimus. Ad hoc enim emergentium quaestionum perplexitas & difficiles nodi caufarum ad sedem apostolicam referuntur, ut cum earum merita fuerint assertionem partium patefacta, prodeat ab apostolica sede sententia, deducens in certitudinem dubia, & obscura producens in lucem, ut litigantium dissensionem sopita, suum iustitia tueatur & sequatur auctorem. Inde siquidem fuit quod accedentibus ad praesentiam nostram te ac dilecto filio nostro B. Augusten. Canonico pro quaestione quae inter vos super Praepositura Augusten. Ecclesiae vertebatur, nos venerabilem fratrem nostrum Octa. Hostien. Episcopum & dilectum filium Grat. sanctorum Cosmae & Damiani Diaconum Card. vobis concessimus auditores. In quorum praesentia fuit ex praedicti B. parte propositum quod cum dilectus filius E. de Augusten. Praeposito fuisset in Episcopum Brixien. electus, rogavit Capitulum Augusten. ne aliquem sibi prius eligerent in Praepositum, quam ejus esset electio confirmata. Cumque ipsi ejus precibus annuissent, & idem electus, electionis confirmatione per suum Metropolitanum ob-

Epist. 190.
Quod vult de
causis electio-
nem suam con-
firmet.

tenta,